

corrigendum esse; Tamen huic Pythagorico seu Copernicano Systemati subscribere noluit, sed aliud Systema, forsan tantò sibi majores laudes

apud multitudinem, Terreni globi motum negantium, comparare, in medium produxit, de quo nunc agemus.

CAPUT IX.

De Systemate Mundi secundum Tychonem de Brahe, nobilem Danum; In quo Terra collocatur in Centro Mundi, Sol autem in centro Planetarum (excepta Luna) secum illos vehens.

TYcho Brahæus, (vir aliàs nunquam satis laudatus, cujus solertiâ, studio & sumptibus planè regiis, motuum cœlestium observationes accuratiores, canonesque cœlo magis congruentes habemus) ut Terram in centro Mundi, secundum communiorē opinionem conservaret, Systema aliud, Ptolemaicum & Copernicanum invertens, excogitavit, & media viâ electâ, motum Soli cum Ptolemæo reliquit, illum autem pro centro reliquorum Planetarum, excepta Lunâ, secundum Copernicum constituit, & de novo, Cœlum fluidum pronuntiavit. *Vid. Iconis. III.*

*Descriptio
Systematis
Tythonici.*

In hoc Systemate, Terra in medio Cœlorum, Lunæ, Solis & Fixarum est, inter quos prima Sphæra Lunæ, deinde Solis orbis, & denique octava Sphæra, omnes Terræ concentrici ponuntur; Sol cæterorum centrum æstimatur, circa quem quinque Planetæ, Mercurius, Venus, Mars, Jupiter, Saturnus, veluti proprium ducem seu Regem, gyros suos ducant, eumque semper quasi in meditullio suarum revolutionum incedentem observent; ita ut totum hoc Planetarium Systema spatio 24 horarum quotidie cum Sole Terram circumcurrat, & interea quilibet Planeta ad ipsius circuitum, etiam cursus suos proprios annuatim perficiat, aut citius aut tardius secundum cujusque proportionem ac distantiam; Mercurii autem & Veneris circuli, quasi duo Epicycli Solis sint; quos sequitur longissimo intervallo Mars (cujus cœlum in oppositione Solis, à solari cœlo magnam aufert partem, quare acronychus, propior est terris ipso Sole) deinceps Jupiter, tandem Saturnus. Ex quorum motibus (dum Sol hos quinque Planetas, ut dictum est, diem circa Terram, ceu singulare

aliquod Planetarium Systema, secum vehit) sequuntur cætera phænomena.

Verum enimverò, licet hæc Tythonica structura ingeniose excogitata sit, tamen ex sequentibus patebit, illam in rei veritate subsistere non posse; vidit quidem Tycho defectum Ptolemaici Systematis, maximè in illo, quod Venus & Mercurius collocentur proximiores Terræ, cum tamen evidenter proximiores Soli & semper ejus aspectu sint, neque unquam ab eo (uti supra c. 2. dictum) procul discedant, multò minus inter Terram & Solem in oppositionem veniant, quod tamen, si Terram circumirent, necessariò accidere deberet; Ideoque illos circa Solem suos perficere gyros, non autem circa Terram, nemo negare potest; Vidit deinde quoque errorem esse magnum, dum Ptolemaici ad conservandum & defendendum suum Systema, volunt Sphæras Planetarum solidas & compactas pronunciare, quod autem Tythonicum Systema minimè concedit; Ideoque Tycho soliditatem hanc ex cœlo quasi deturbavit, & in ejus locum materiam fluidam statuit, per quam Sol reliquos Planetas, tanquam auriga, diem circa Terram circumducatur. Sed ut ut sit, nihilominus tamen hoc Tythonicum Systema multis in modis tam rationi humanæ quàm Mathematicis demonstrationibus contrarium est.

Primò enim in illo Planetæ ubique vagantur & telis araneorum implicatiores sunt; Martis sphæra ducitur contra naturæ leges per orbitam & viam Solis seu Eclipticam, ut & per tramites reliquorum Planetarum, unde quasi per luxationem, revolutiones eorum, intra eadem spatia, sese omnes implicant, penitusque confundunt.

Secundò, est contra mentē & intellectum, quod ingens tale Systema Solis

*Objectiones
contra Ty-
thonicum
Systema.*

C

&